

CORNELII TACITI

- 3 eliguntur in isdem conciliis et principes qui iura per pagos
vicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites con-
siliium simul et auctoritas adsunt.
- 13 Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati
agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris quam 5
civitas suffecturum probaverit. tum in ipso concilio vel
principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque
iuvenem ornant: haec apud illos toga, hic primus iuventae
honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae.
↑
2 insignis nobilitas aut magna patrum merita principis digna- 10
tionem etiam adulescentulis adsignant: †ceteris robustioribus
ac iam pridem probatis adgregantur, nec rubor inter comites
3 aspici. gradus quin etiam ipse comitatus habet, iudicio
eius quem sectantur, magnaque et comitum aemulatio,
quibus primus apud principem suum locus, et principum, 15
4 cui plurimi et acerrimi comites. haec dignitas, hae vires:
magno semper electorum iuvenum globo circumdari in
pace decus, in bello praesidium. nec solum in sua gente
cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea
gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat; expe- 20
tuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa
plerumque fama bella profligant.
- 14 Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe
comitatus virtutem principis non adaequare. iam vero
infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi 25
suo ex acie recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque
fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum
est: principes pro victoria pugnant, comites pro principe.
2 si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, pleri-
que nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae 30
tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et